

lari tangit: huiusmodi interpretandi ratio consilio sacrorum auctorum et naturae Scripturarum repugnat, clademque exegesi facile affert. Ceterum talis exegesis error paucorum est vel potius fuit.

b) *Schola concordiae dogmaticae*, quae docet Scripturam in rebus fidei et morum scientiis profanis consentire (*concordia dogmatica*), eamque recte explanatam in rebus profanis non errare (*concordia profana negativa*). Quum Scriptura scientias profanas ex professo tractare, et lingua eruditorum uti non soleat: in his nec confirmationem opinionum ac veritatum profanarum, nec pugnas quaerendas esse. Haec sententia priori praeferenda est.

3. — Quoad *usum scientiarum humanarum exegeticum*, omnes consentiunt, eas ad sensum biblicum inveniendum, illustrandum et probandum adhibendas esse, itaque exegesi scientiis profanis uti, et ad has quodam modo accommodari debere. Sed quum placita scientiarum saecularium (imprimis historicarum ac physicarum) pro earum progressu variant et magis magisque excolantur: necessitas exegesi obvenit, aut progressum scientiarum negligendi, aut interpretationem multorum locorum pro statu scientiarum frequentius mutandi, aut vero alio quodam modo difficultatem solvendi. Qua in re gravi atque ardua tres rationes interpretationis exstiterunt.

a) *Schola antiquitatis tenax* progressus scientiarum ignara, imo eis fere inimica, traditioni exegeticae in rebus ad fidem et mores non pertinentibus pertinaciter adhaeret. Per se intelligitur, hanc agendi rationem rei Scripturae et religionis non modo nihil prodesse, sed Scripturam odio et despectui objiciendo ei etiam nimium obesse.

Ad rem pertinent verba S. Thomae: »In huiusmodi quaestionibus duo sunt observanda. Primo quidem, ut veritas Scripturae inconcussa teneatur. Secundo, cum Scriptura divina multipliciter exponi possit, quod nulli expositioni aliquis ita praecise inhaereat, ut si certa ratione constiterit, hoc esse falsum, quod aliquis sensum Scripturae esse crederet, id nihilominus asserere praesumat, ne Scriptura ex hoc ab infidelibus derideatur, et ne eis via credendi praeccludatur.« (I. qu. 68. a. 1.)

b) *Schola antiquitati propitia (conservativa)* scientias quidem profanas aestimat, sed a sententiis profanis traditis non recedit, usque dum eas evidenter refutatas videt. Accidit tamen hos interpretes scientiis progredientibus de sententia diu vehementerque propugnata, et multis quasi ad fidem pertinere visa, dejici. Ita theologia a scientiis profanis cladem accepisse et exegesi

velut ad pedem referendum coacta scientiis cedere videtur; quum revera nonnisi antiquae opiniones profanae in exegesi assumptae sint convictae.

c) *Schola discretiva* quum et scientiarum profanarum merita, et earundem mutabilitatem noverit, a priori determinat res fidei et morum (dogmata eorumque fundamenta et consectaria), a quibus auctoritate divina in perpetuum firmatis decedi non possit; in aliis autem, — ergo in rebus profanis, et in illustratione ac probatione veritatum biblicarum e scientiis profanis deprompta — scientiis ac ipsis sententiis humanis probabilibus, salva utique analogia fidei, plenam libertatem largitur. Fructibus autem scientiarum profanarum sic in exegesi utitur, ut clare ostendat, interpretationem huiusmodi non ipsam esse veritatem biblicam absolute certam, sed conclusionem e sensu Scripturae et doctrina humana factam, pro scientiarum progressu mutabilem ac perficiendam. Ita ipsa possibilitas pugnarum removetur, vel certe pugnae in vanas atque ineptas cavillationes inimicorum rediguntur.

Haec exegesis ratio, dummodo novitatis studio, vel fidem ac mores ad opiniones modernas accommodando, modum ne excedat: et Scripturarum dignitati, et studiorum biblicorum incremento, et scientiarum profanarum libertati optime consulit.

4. — Quid ergo *de progressu exegesis* dicendum? Multi Scripturae Sacrae adversarii exegesi biblicam Christianam (et plane catholicam) scientiis inimicam et omnis progressus incapax esse criminantur.

In rebus fidei et morum exegesi biblicam antiquitatis tenacem esse, verum ac justum est. Revelatio enim biblica est opus Dei objective perfectum et ulterioris perfectionis incapax. Verum sicut scientia religionis Christianae, ita etiam intelligentia Bibliorum subjective excoli potest, quia (praeter speculationem sensum penetrantem) scientiae rerum novarum inventrices tum veritates religionis, tum sensum Scripturae magis magisque illustrare possunt atque confirmare. Narrationes autem Bibliorum historicae et relationes profanae pro conditione et methodo scientiarum profanarum tractari, ergo una cum his procedere debent. Exegesis igitur Christiana progressus capax est, sed utique progressus considerati. In exegesi jam ideo periculose a cultu scientiarum saecularium quiesceretur, quia ita studia historica et physica inimicis Sacrae Scripturae permitterentur, iis certe contra religionem abusuris.

§ 78.

Bibliographia concordiae biblicae.

De concordia biblica *interna* tractant omnia opera exegetica, imprimis illa, quae libros parallelos interpretantur. Aliquot hujusmodi operum recensio in historia exegesis invenitur.

De concordia *externa philosophica* agunt libri, qui philosophiam Christianam, dogmaticam et apologeticam tractant. Hos ergo enumerare supersedemus, et lectorem ad illas disciplinas remittimus.

De *harmonia historica* sequentia opera nominasse sufficiat. (Auctores asterisco notati sunt orthodoxi; ceterorum sive catholicorum sive protestantium libri caute sunt legendi.)

G. Smith, The chaldean account of Genesis (by Sayce), nova editio. London, 1880. Germanice *G. Smith's Chald. Genesis* von H. Delitzsch. Leipzig, 1876.

Friedr. Delitzsch, Wo lag das Paradies? Leipzig, 1881.

Fr. Lenormant, Die Anfänge der Cultur. Jena, 1875.

F. Chabas, Études sur l'antiquité historique. II. édit. Paris, 1873.

G. Ebers, Aegypten und die Bücher Mose's. Leipzig, 1868. — Durch Gosen zum Sinai, II. Aufl. Leipzig, 1881.

H. Brugsch, L'exode et les monuments égyptiens. Leipzig, 1875. — Steinschrift und Bibelwort, II. Aufl. Berlin, 1891. Idem plura opera super aegyptologia scripsit.

Eb. Schrader, Keilinschriften und Geschichtsforschung. Giessen, 1878. — Die Keilinschriften und das alte Test. II. Aufl. Giessen, 1883.

* *A. Scholz*, Die Keilschrift-Urkunden und die Genesis, Würzburg, 1877. — Die Aegyptologie und die Bücher Mosis. Würzburg, 1878.

* *F. Vigouroux*, La Bible et les découvertes modernes. IV. Edit. Paris, 1884—85. (Etiam versio Hungarica adest.) — Le nouveau Testament. Paris, 1890.

* *P. J. Röckerath*, Bibl. Chronologie. Münster, 1865.

* *J. Raška*, Die Chronologie der Bibel. Wien, 1878.

* *Al. Schäfer*, Die bibl. Chronologie. Münster, 1879.

* *Fl. Riess*, Das Geburtsjahr Christi. Freiburg, 1880. — Nochmals das Geburtsjahr J. Chr. Freiburg, 1883.

* *E. A. Pannier*, Genealogiae biblicae. Insulis, 1886.

* *A. Giesswein*, Mizraim és Assur tanusága. Győr, 1887. — Az összehasonlító nyelvészet. Győr, 1890. (Etiam germanice.)

* *St. Székely*, Az emberi nem kora és a Szentírás. Esztergom, 1887. — Az emberi nem régisége. Budapest, 1889. — A Szentírás apologiája. Nagyvárad, 1891.

De *harmonia physica* multa sunt opera, quorum pauca tantum memoramus commendatione digna.

Pianciani, Erläuterungen zur Mosaischen Schöpfungsgeschichte. Deutsch von Schöttl. Regensburg, 1853.

Ath. Bosizio, Das Hexaëmeron und die Geologie. Mainz, 1865. — Die Geologie und die Sündfluth. Mainz, 1877. — Antiquitatis tenax.

P. M. Rauch, Die Einheit des Menschengeschlechtes. Augsburg, 1873.

H. Reusch, Bibel und Natur. IV. Aufl. Bonn, 1876. — Opus egregium.

H. Lüken, Die Stiftungsurkunde des Menschengeschl. Freib. 1876.

Fr. Hummelauer, Der bibl. Schöpfungsbericht, Freib. 1877.

C. Güttler, Naturforschung und Bibel. Freiburg, 1877.

Fr. Hettinger, Apologie des Christenth. VI. Aufl. Freiburg, 1885.

Alb. Cetta, Il diluvio. Torino, 1886.

F. Duilhé de Saint-Projet, Apologie des Christenthums auf dem Boden der empir. Forschung. Deutsch von Braig. Freiburg, 1889.

Al. Trissl, Das bibl. Sechstageswerk. Regensburg, 1894. — Sündflut oder Gletscher? Regensburg, 1894.

Opera a Reusch, Lüken, Güttler, Hettinger, Duilhé de S. P. scripta etiam in linguam Hungaricam translata sunt.

ARTICULUS TERTIUS.

Natura Scripturae prophetica.

§ 79.

Relatio antiqui et novi testamenti.

Libri sacri, quum utriusque testamenti historiam, doctrinam et instituta describant, sine accurata mutuae relationis eorum cognitione intelligi non possunt. Si autem relatio illa non recte intelligatur, omnis S. Scripturae sensus, imo tota religio revelata pervertitur, ut exemplum non solum antiquarum haeresum, sed etiam recentioris mythicae interpretationis docet. Relationem utriusque testamenti sequens declarat

Propositio: Relatio antiqui et novi testamenti est harmonia teleologica partium ejusdem oeconomiae salutis, ad novum testamen-